



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vitae Sanctorvm**

**Lippeloo, Zacharias**

**Coloniae Agrippinæ, 1603**

Vita S. Aqvilini Episcopi Ebroicensis scripta ad Audoenum: Ex ea quæ est apud V. P. Laur. Surium. Claruit temporibus Clodouei Regis Francorum, ac Filiorum eius. Sedit annos 42.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42787**

maximè eos anxios habebat, quòd nescirent, quo modo sepulture corpusculum mandarèt. Cumque ea de re inter se conferrèt, eccè caput martyris disertis eos appellans verbis, Abite, inquit, ad locum Luperam, atque illic meum humate corpusculum. Porrò matri hoc meum apportatè caput: vt amoris ergà se mei hoc pignus habeat. Quod si mei tenetur desiderio, studeat sequi me in paradiso iam degentem: vbi animæ sanctorum feliciter quiescunt.

*Loquitur  
precisum co-  
pus patri  
& fratrè  
suo.*

Tum illi corpus sanctissimi martyris reuerenter sepeliunt; & caput matri adferunt; quæ cum illud profusis præ gaudio lachrymis exciperet & Christi numen collaudaret, eccè lux ingens in medijs noctis tenebris cælitus supra domiciliū effusa est: populo, qui in vrbe erat, vniuerso admirante, & Christi gloriam in martyre hymnis & canticis celebrante. Cum verò Episcopus ciuitatis sacrum illud martyris caput honorifice conderet, cæca quædam superueniens puella, mox lumen adepta est, plebe rursus noua lætitia exultante, & inclytum martyrem laudè & prædicatione efferente; ad gloriam benignissimi Saluatoris, qui sanctos suos ità exaltare dignatur; cui honor est & potestas per æterna secula: Amen.

*Lux cælitus  
effunditur  
super caput  
eius.*

*Cæca illumina-  
natur.*

*Vide Notat.  
C. Baron.  
in Martyrol.  
Roman.  
Obijt is Rex  
Anno Domi-  
ni 414. Lux-  
tà Baron.  
Tom. 6. An-  
nal.*

VITA S. AQUILINI EPISCOPI  
Ebroicensis scripta ad Audoenum: Ex ea quæ  
est apud V. P. Laur. Surium. Claruit temporibus  
Clodouei Regis Francorum, ac Filiorum eius.  
Sedit annos 42.

S 3

BEATVS

nal.

19. Octob.

*Patria &  
parēs eius.*

**B**EATVS Aquilinus Baiocensi ciuitate oriundus, parentum nobilitate clarus, sed morum dignitate illustrior, antiqua insignia nouis virtutum ornamentis obscurauit. Cū summo studio enutritus, animum liberalium artium disciplinis, & sacris etiam literis præclare imbuisset, transmissis adoleſcētiæ spatijs, vt iuuentutem attingit, vxor ei, pari nobilitate virgo, delecta fuit. Qua cum sacrosancto matrimonij fœdere, sanctissimè inito, proles primum terrena ab eo gignitur, vt postmodum cęlestis procreetur.

*Dedit vxorem nobilem.**A Clodoueo Rege cum alijs mittitur ad barbaros proſtigandos.*

Ea tempestate Clodoueus rerum in Francia potiebatur; qui accitum ad se Aquilinum cum vrbium præfectis, eum aduersum barbaros, qui in extremis regni Francorum finibus, efferatis cœperant animis inſoleſcere, in expeditionem destinavit: vtique vt, antequam spiritale contra spiritales nequitas bellum susciperet, hostium visibilibus pugnis & victorijs exerceretur. In ea expeditione cum triennio & mensibus sex versaretur continuis, pia eius coniunx de salute & reditu mariti vehementer sollicita, votum Domino nuncupauit, se anno integro continenter cum illo victuram, si saluus & incolumis domum rediret. Vbi ergo optatum eius reditum cognouit, immodico gaudio elata, cum familia & comœtu Carnorum vsque ei obuiam processit: & in alienæ ciuitatis hospitio lautissimè, haud secus ac domi, eum excepit. Ibi cum mutui se amplexibus peramanter stringerent, & Aquilinus coniugis pudicitiam & amoris integritatem, coniunx verò Aquilini sinceritatem admittit.

*Fatum coniugis eius.**En indicium purissimi amoris in matrona coniugata.*

admiraretur, oblata deindè familiaris collo-  
quij opportunitate, marito suo, quid actum es-  
set, quomodo se voto obstrinxisset, explica-  
uit: timensque ne fortè factum indignabun-  
dus damnaret, votumque rescinderet, multis  
sefe verbis excusare, & iræ, quam formidabat,  
obuiâ ire studuit. At verò maritus multò ma-  
gis suum in foemina pectus admirans dolebat,  
quòd non potuisset primas sibi in ipsa vendica-  
re virtute, qui prior esset conditione virili; &  
prior etiam desiderio castitatis esse putaretur,  
nisi posterior inuentus esset conceptæ volûta-  
tis significatione & enunciatione. Contèplans  
iraque cum gaudio & admiratione cõiugis ca-  
stitatem, Tu, inquit, charissima me dicèdo an-  
teuertisti, què desiderando anteuertere nò po-  
tuisti. Veruntamen vt multû lætor terram pe-  
ctoris tui, quam ego colere volebam, diuinitus  
cultam & complutam esse: ita hoc vnum ad-  
huc, quod à te prætermisum sentio, & necessa-  
rium puto, adijcere volo. Tu annuam Deo cõ-  
tinentiâ promissisti, ego opto & polliceor per-  
petuam; vt pariter non annuam, sed sempiter-  
nam possimus coronam adipisci. Hæc cû ille  
dixisset, coniunx gratissimo animo assensit: ex-  
cussosque contagionis iugo, sanctitatis iugum  
pariter susceperunt.

*Vide propo-  
situm consti-  
tentiæ in  
matrimonio.*

*Perpetuam  
continentiâ  
promittit A-  
quilinus.  
Idem facit  
cõiunx eius.*

His ita cõstitutis insequenti die, cœpto iti-  
nere domum perrexere. Et quidem sub vno re-  
cto animis coniunctis degentes, carnali tantû  
confortio separati, sua antè omnia pauperibus  
impêdere, corpora ieiunijs & vigilijs exarare,  
studio pietatis certatim feruere, peregrinis  
& hospitibus ministrare, domum suam, in

*Elargiuntur  
sua pauperi-  
bus.*

*En conuersa-  
tionis eorum  
p. r. f. tione.*

xenodochium propemodum conuertere: denique in laico habitu, nihil ipsis monachis & Crucis habitum gerentibus cedere. Tantum communis conuictus & vestes seculares castitatis secretum occultabant, & humanas laudes repellebant.

*Aeterno E  
p. l. o. p. o. E  
l. r. m. e. n. s. i. s. u. c.  
c. d. i. t. a. q. u. i.  
l. i. n. u. s.*

Cumque hoc modo ardentes lucernae diu sub modio delitesceret, tandem beato Aeterno, Ebroicensis urbis Episcopo ex hac luce ad aeternam translato, totius Cleri & populi animi diuinitus inflamantur, ut Aquilinus ille occultus Dei seruus, qui se abscondens proximis negabat exemplar pietatis, ei substituitur. Nec quaesitum ab electo quid ipsi videatur: sed rapitur ab omnibus trahiturque, ut totius Ecclesiae domum gubernet, & pastorem curam ei impendat, quae suae domui tam praecclare praefuerat. Primo igitur clericus ordinatur; indeque gradatim promotus ad Episcopale cacumen euehitur: cultis ei obuiam procedentibus, & consonis vocibus laudes eius celebrantibus. Suscepto autem non coruino hiatu, sed columbina simplicitate sacerdotio, iam aperte uxor vertitur in sororem, in quam iam ante occulte transferat. Deinde gregis sui cura suscepta, cum non ignoraret, se tequestrum & aduocatum totius populi apud Deum constitutum, ut liberius possit contemplationi vacare, & pro peccatoribus mundi huius tumultibus deditis, Dominum deprecari, non longe a muro ciuitatis, ab Ecclesia vero centum passuum spatio distantem elegit cellam, in portae Rhotomagensis regione sitam: ubique secretum, quod propter pastoralis curae inquietudines amiserat, repetens, animarum causas & negocia tanto curabat melius, quan-

*Sequitur soli-  
taria inha-  
bitatio.*

quanto plus corporum declinabat. Ibi summo disciplina rigore corpus domabat, mentem verò assiduis orationibus & lectionibus pascebat; hauriebatque è sacris fontibus in secreto, quod populo deinde in publico propinabat.

Vestes delicatas, mensam splendidam, lectique mollitiem, cæteraque eiusmodi, quæ cælestem disciplinam eneruant, prorsus ignorabat. Nudum pavimentum fessa longis vigilijs mēbra, ac ieiunijs exesa, breui somno excipiebat. Semper in acie cōtrà hostiles nequitas & impetus strenuus bellator stabat: pauidus ne fortè remissior factus, vel hostili impetu subuerteretur, vel insidijs circumuentus opprimeretur.

Hinc timore Domini plenus semper Dominū precabatur, vt fenestras corporis sui aut obstrueret, aut custodiret; nè per eas noxia irreperet concupiscentia, quæ certissimam animæ mortem adferre solet. Malle enim se testabatur orbatum luminibus, in regnum intrare cælorum; quàm illis integris mitti in gehennam.

Eius verò precibus annuēs Dominus, exteriores capitis eius fenestras, lucis ministras, clausit; sed interiores adeò cumulatè illustrauit, vt sine oculorum adminiculo ad ecclesiam veniret, & pari alacritate immò maiori, pabula diuini verbi, cæteraque pietatis officia, populo administraret. In his omnibus ipse, Christus ei reddebat testimonium: prorsus vt quos intus illuminabat, curabat, erigebat; extrinsecus etiā signo Crucis illuminaret, & erigeret. Neque enim vlla corporalis infirmitas eius precibus resistebat; qui suis exemplis & doctrina spirituales ægri tudines depellebat.

S 5

Tandem

*En quantam  
sui custodia  
habeat vir  
sanctus.*

*Orbatur ocu-  
lorum lumi-  
ne, vt petie-  
rat.*

*Signo Crucis  
pellit morbos  
aliaque ope-  
ratur mira-  
cula.*

Tandem pijs bonorum operum sanctarumque institutionum exercitijs cōprobatuſ, cum duos & quadraginta annos in dignitate pastoralis exegisset, illibatum & incontaminatum Christo reddidit spiritum: sepultus in basilica quam apud ciuitatis suburbium ipse condiderat.

*Obitus eius.  
Locus Sepul.  
civitas.*

MARTYRIVM SS. CAPRASII, FIDEI, ac sociorum: Ex eo quod est apud V. P. Laur. Surium. Passi sunt anno Christi trecentesimo tertio. Marcellini Papæ 7. Dioclet. & Maxim. Imp. 20.

*Vide & T.  
mo 3. Ann. 1.  
C. Baron.*

30. Octob.  
\* in Gallijs  
sua.

*Patria &  
parentes S.  
Fidei.*

FVIT in ciuitate Agennensium eximia pulchritudine virgo, Fides nomine, veteri & generosa stirpe parentum nobilissimæ sed Christi munere longè nobilior: quæ prima in ciuitate Agenno, decus & exemplum martyrij cunctis CHRISTI fidelibus fuit. Iuuenis quidem illarum passionis fuisse dicitur tempore, sed sensu & opere senex manebat; pulchra facie, sed pulchrior mente: virginitatis quoque candore formosissima, vultusque hilaritate serena.

\* *Rithoua-  
vini: præsuit  
etenim Da-  
cianus in  
Hispanijs.*

*Sistitur ad  
tribunal præ-  
sidiæ.*

Eodem igitur tempore Præsides sceleratissimus, nomine Dacianus, à profanis Imperatoribus Diocletiano & Maximiano, ad Agennensem urbem missus, ut & sacrilegos beneficijs remuneraret, & Christianis ibidem metu ipsius latentibus atrocissimas poenas inferret: continuo beatissimam virginem Fidem suis iussu inspectibus præsentari. At illa spontè se ministris offerens, armata vexillo sanctæ Crucis in fon-